Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



partem alia. Dixit autem mulier cuius filius erat uiuus ad regem commota
quippe sunt uiscera eius super filio suo. Obsecro mi domine date illi infan
tem viuum et nolite interficere eum. Contrario illa dicebat. Nec mihi nec
tibi sit sed diuidatur. Respondit rex et ait. Date huic infantem viuum et
non occidatur. Hec est enim mater eius. Audiuit itaque omis israel iudicium quod
iudicasset rex et timuerunt regem audientes sapiam dei ee eo ad faci
endum iudicium. Gr. Esto mihi in deum protectorem et in locum refugii ut saluum me facias. V.
Deus meus in te speraui domine non confundar in eternum. Secundum Johem
Nil tem. Prope erat pascha iudeorum et ascendit iesus hierosolima. Et
inuenit in templo uendentes boues et oues et columbas et nummularios
sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis omis eiecit de templo
oues quoque ac boues et nummulariorum effudit aes et his qui columbas
uendebant dixit. Auferte ista hinc et nolite facere domum patris mei do
mum negotiationis. Recordati uero sunt discipuli eius quia scriptum est
Zelus domus tue comedit me. Responderunt ergo iudei et dixerunt ei
Quod signum ostendis nobis quia hec facis. Respondit iesus et dixit
eis. Soluite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt
iudei. Quadraginta et sex annis edificatum est templum hoc et in tribus
diebus excitabis illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui.
Cum ergo resurrexisset a mortuis recordati sunt discipuli eius quia
hoc dicebat. Et crediderunt scripture et sermoni quem dixit iesus. Cum
autem esset in ierusalem in pascha in die festo multi crediderunt in nomine
eius uidentes signa que faciebat. Ipse autem iesus non credebat semetipsum
eis eo quod ipse nosset omis et quia opus ei non erat ut quis testimonium
perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine. Off. Iubi
late deo omis terra seruite domino in letitia intrate in conspectu eius in exultatione quia dominus ipse
est deus. Secreta. Oblatum tibi domine sacrificium uiuificet nos semper et